

naturæ; nam habere fidem supponit imperfectionem in ipsa natura humana, videlicet non videre Deum, quæ repugnat perfectioni naturæ humanæ suppositatæ a Verbo, ut ibidem diximus. At esse subjectam, et esse inferiorem Deo non est imperfectio in humanitate, nam eo ipso quod creatura est, quantumvis perfecta sit, habet necessario esse subjecta Deo, et illi inferior, nec ab illa hoc auferri potest.

X. Secundo aguitur: Cuilibet merito correspondet aliquod præmium; sed merito Christi nullum correspondet præmium; ergo non est tale meritum in illo. Major est nota cum consequentia; et minor probatur, quia merito Christi, si daretur, nec respondet præmium infinitum, neque finitum; ergo nullum. Primum probatur, quia tale infinitum præmium non est dabile, videlicet infinita gloria essentialiter, et simpliciter. Secundum vero probatur, quia meritoria actio Christi, si in illo daretur, procederet ab infinito supposito operante ut quod, ergo esset meritoria infiniti præmii simpliciter, quia præmium correspondere debet merito.

XI. Respondetur negando minorem, nam merito Christi correspondet præmium infinitum, sicut et ipsum meritum infinitum est. Illud autem non est gloria infinita, quæ dabilis non est, sed omnia quæ dantur illi in præmium, dari ex toto rigore justitiæ, quod quidem facit infinitatem in præmio, licet entitative finitum esset. Ac etiam datur præmium infinitum Christo, quia meruit suam resurrectionem, et talis resurrectio infinitatem habet ex ea parte, qua consequenter ad unionem animæ cum corpore resultavit unio hypostatica Verbi divini ad totam naturam humanam, quod infinitum simpliciter est præmium. Nec de hoc in præsentia prolongan-

us est sermo, cum latissime, dum de satisfactione Christi infinita disseruimus, quæ ad hoc conducunt, explicavimus supra quæst. I, articulo secundo.

XII. Tertio arguitur: Quia Christus Dominus non potuit demereri; ergo nec etiam potest mereri. Patet consequentia, quia contraria nata sunt fieri circa idem; antecedens autem supra a nobis probatum fuit quæst. xv, articulo primo.

XIII. Confirmatur hoc argumentum, quia ut ait D. Thomas hic in solutione ad primum non merebatur Christus in quantum comprehensor, sed in quantum viator; ergo non potuit mereri secundum animam, quia secundum animam erat beatus; et ex altera parte erat viator secundum corpus, secundum quam rationem non est capax meriti, quia meritum esse debet ab anima, et a voluntate, quæ potentia ejus est, et non a viribus corporalibus; ergo secundum nullam partem potest competere Christo, quod actiones meritorias habere possit.

XIV. Ultimo arguitur: Quia Christus Dominus, si per aliquem actum mereri posset, maxime per actum charitatis, quæ est principium totius meriti, sed per actum charitatis non potuit mereri; ergo per nullum. Minor probatur, quia actus charitatis in Christo erat omnino necessarius, utpote actus comprehensoris; ergo non erat ille meritorius, quia ad rationem meriti requiritur libertas.

XV. Ad tertium argumentum respondetur, quod contraria nata sunt fieri circa idem ex imperfectione subjecti in quo recipiuntur, quia cum subjectum habeat ex se potentialitatem indifferentem ad utrumque contrariorum, ideo unumquodque illorum recipere potest. Nihilominus attenda perfectione alicujus subjecti, cui non est admixta im-

perfectio in illo genere, taliter potest unum contrarium illi conjungi, ut alterum repugnet omnino in illo recipi. Nec de hoc deest exemplum in naturalibus, nam ignis ita determinatus est ad calorem, ut nequam possit recipere frigiditatem. Cum ergo Christus propter suam maximam perfectionem semper esset determinatus ad bonum quantum ad specificationem, videlicet, quia si operabatur deberet operari conformiter ad rationem, inde est, quod non potuerit demereri, quamvis mereri posset, nam in nobis utrumque reperiri provenit ratione nostræ imperfectionis, qua ad bonum, et ad malum indifferentes sumus.

XVI. Est etiam exemplum in theologia, quo demonstratur actionem aliquam esse meritoriam, et tamen non posse esse peccatum, nec demeritoriam, ut patet in prima volitione voluntatis, quando movetur voluntas a Deo, et non a se ipsa, hæc enim operatio in Angelis, et in hominibus non potest esse mala, quia est ab auctore naturæ tamquam ab applicante voluntatem ad talem operationem, et tamen illa cum bona sit, et quantum ad exercitium libera, potest esse meritoria, quamvis Deus nos ad illam moveat; hoc est enim magna misericordia Dei, quod nostra vult esse merita, quæ sua sunt dona.

XVII. Ad confirmationem respondetur, quod quando dicitur, quod Christus erat viator quantum ad corpus, non sic debet intelligi, quod ratio tendentiæ ad patriam desumatur ex corpore præcise, sed quod ratione corporis passibilis erat capax Christus tendendi ad patriam, ad quam secundum corpus nondum pervenerat. Debet ergo dici, quod Christus non tantum ratione corporis præcise, sed etiam secundum animam erat viator, nam licet se-

cundum partem superiorem animæ, hoc est, secundum quod regulabatur rationibus superioribus, esset comprehensor, tamen secundum partem inferiorem animæ, hoc est, secundum quod movebatur rationibus, erat viator. Unde in eadem anima, et reperiebatur gaudium comprehensoris, et etiam tristitia viatoris, quam explicuit Christus quando dixit: *Tristis est anima mea usque ad mortem.*

XVIII. Ultimum argumentum petit specialem difficultatem de virtute, qua mediante Christus meruit, quod consulto ultimo loco posuimus, ut occasione illius jam sequeretur.

ARTICULUS III.

Utrum Christus meruerit per actum charitatis erga Deum; an vero solum per actum aliarum virtutum?

I. Circa istam difficultatem Vazquez disp. lxxiv, cap. iii, tenet nulatenus Christum meruisse, neque mereri potuisse per aliquem actum dilectionis circa Deum. Et pro illa sententia arguit, quia si Christus Dominus mereretur per actum dilectionis Dei, deberet talis amor esse liber, nam per actum omino necessarium non potest mereri (ut nos etiam diximus inter conditiones requisitas ad rationem meriti articulo præcedenti) sed in Christo nullus actus amoris Dei fuit liber, sed omnino necessarius; ergo per nullum actum amoris Dei mereri potuit. Consequentia est manifesta, et minor in qua est difficultas probatur primo ab illo auctore, quia si aliquis actus amoris Dei imaginari posset liber, maxime ille qui sequeretur ex scientia infusa animæ Christi, sed ad talem scientiam nullus actus amoris supernaturalis sequi potest: ergo nullus est dabilis liber. Mino-

rem probat, quia scientia infusa animæ Christi non attingit Deum, neque essentiam ejus, aut Trinitatis mysterium quantum ad quid est, ut aperte docuit D. Thomas supra quæst. xi, articulo primo; ergo non correspondet illi aliquis amor Dei, atque adeo omnis amor Dei supernaturalis correspondet visioni beatificæ, et consequenter erit necessarius.

II. Secundo, probat eandem minorem, quia quamvis scientia infusa Christi attingeret Deum ipsum, non tamen esset sufficiens ad inclinandam voluntatem humanam ad amorem Dei, quia in præsentia vehementioris cognitionis, cognitio minus perfecta non moveret voluntatem ad idem objectum: ergo scientia infusa animæ Christi in præsentia visionis beatificæ, quæ efficacissima est, non moveret ad amorem Dei.

III. Tertio, probatur eadem minor, quia ille actus liber amoris Dei, qui ab aliis imaginatur, esset ejusdem speciei cum amore beatifico, cum ab eodem habitu produceretur; sed impossibile est, quod duo actus, sicut et alia duo accidentia solo numero differentia sint in eodem subjecto; ergo non potest dici, quod in Christo erga Deum sit unus actus amoris necessarii secutus ex visione clara Dei, et alius liber secutus ex cognitione scientiæ supernaturalis Christo infusæ. Hanc eandem sententiam videtur secutus fuisse Alexander Alensis in parte, quæst. xvii, membro primo, in solutionibus argumentorum.

IV. Conclusio: Christus Dominus meruit per actum amoris Dei. Hanc existimo esse apertam D. Thomæ sententiam in solutione ad primum, ubi postquam posuerat argumentum ad probandum non meruisse per actum charitatis, eo quod ille actus erat comprehensoris, et consequen-

ter necessarius, et non liber, respondet, quod Christus meruit per talem actum charitatis circa Deum non in quantum erat comprehensoris, sed in quantum erat viatoris. Primo ergo patet, quod D. Thomas pro comperto habeat per actum dilectionis Dei Christum meruisse, et solum distinguit de modo tendendi in Deum libere, aut necessario, quo ad rationem viatoris, et comprehensoris pertinet, et consequenter ad rationem meriti. Quod si ex D. Thoma non haberemus in hac solutione, quod Christus, per actum dilectionis Dei ut viator erat, meruit, certe D. Thomas argumentum a se propositum non solvisset, quod dici nequit.

V. Probatur etiam conclusio ex eodem D. Thoma infra quæst. xxxiv, art. iii, ubi constituit motum liberi arbitrii Christi in Deum, quod fuit sanctificatus et meruit, jam ergo ex aliquo actu amoris Dei (illum enim denotant illa verba motus liberi arbitrii in Deum) Christus meruit.

VI. Respondet Vazquez ad hanc auctoritatem, quod ibi non explicuit D. Thomas, an talis actus amoris ortum habuerit ex tali scientia infusa, vel non. Sed quis non videt, quam frivola responsio sit ista, sive enim sequatur ille amor Dei ad scientiam infusam, vel non, semper salvandum est, quod D. Thomas asseruit per actum dilectionis Dei meruisse Christum, quod ipse negat contra doctores sanctos, quem tamen sequuntur in hac conclusione discipuli ejus, præsertim magister Medina quæstione prima istius articuli in principio, et post secundam conclusionem magister Zumel i part. quæst. xxii, art. iv, in dubio ii annexo disputationis illius articuli, et magister Vincentius in sua relectione, pagina 414, imo et Suarez disput. xxxix, sect. ii, conclusione prima.

VII. Et probatur conclusio ratione;

tum ex generali principio, quia omne meritum saltem perfectum dependet ab actu charitatis, quo in Deum refertur, ut solet doceri 1-2, quæst. xiv, articulo iv; tum etiam ex speciali, quia sancti patres opus nostræ redemptionis, quod constat fuisse ex meritis Christi, tribuunt eximie charitati ejus, qua maxime amabat Deum offensum, et qua præcipue nobis reddit placatum. Quod satis insinuassee videtur Christus quando Joann. xiv dixit: *Ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio, surgite, eamus hinc*, id est, ad passionem, et ad negotium nostræ redemptionis peragendum. Ecce quomodo actus obedientiæ imperatus fuit ab actu charitatis, qua diligebat Patrem libere; ex impulsu enim charitatis hic et nunc operantis, et non antea, motus fuit Christus.

VIII. Supposito ergo, quod Christus per actum dilectionis Dei meruerit, ut est communissimum, magna differentia est inter doctores in explicando modo, quo per talem dilectionem Dei meruerit; est enim res valde difficilis explicatu. Quidam ergo primo loco affirmarunt actum charitatis beatificum esse in Christo meritorium ex speciali miraculo ipsius Christi, qui cum virtutem miraculorum haberet, etiam habuit ut miraculose per actum dilectionis Dei beatificatæ mereretur. De quo jam diximus articulo præcedenti, conclusione secunda et rejecimus. Secundo, alii attendentes illud sine fundamento esse dictum, posuerunt actum amoris Dei beatificum esse necessarium, et simul meritorium, eo quod ille actus esset in viatore. Itaque ratione subjecti existentis in via habebat rationem meritorii actus ille, quam non haberet ex se ratione necessitatis ejus. Tertio, alii judicantes hoc esse irra-

tionabiliter dictum propter conditionem libertatis omnino necessariam ad rationem meriti, dixerunt actum illum amoris beatifici in se quidem meritorium non esse, sed causam meriti in aliis actibus aliarum virtutum eos in Deum dirigendo; erat ergo meritorium causaliter tantum. Quarto, alii talem directionem actus necessarii circa actus liberos impossibilem judicantes, et ne tollant a Christo meritum ipsius charitatis, dicunt actum illum amoris beatifici, ut terminatum ad creaturas, fuisse liberum, et viatoris, ac meritorium; ut terminatum vero ad Deum, fuisse necessarium, et beatificum, et non meritorium. Quinto, alii attendentes actum charitatis esse de se meritorium, et indicem meriti ea ratione, qua charitas est forma reliquarum virtutum, atque adeo illas in Deum dirigens, dixerunt illum eundem actum amoris beatifici necessarium, et liberum, etiam in ordine ad ipsum Deum sub diversis rationibus, et considerationibus, quas statim explicabimus. Ultimo autem alii hoc non percipientes, asseruerunt Christum revera meruisse per actum dilectionis Dei, sed tamen esse in Christo duos actus amoris Dei, alterum beatificatum, et necessarium, nec meritorium; alterum vero liberum, et meritorium. Qui modus dicendi etiam patitur suam non modicam difficultatem, ut infra videbimus.

IX. Sed ex his tam variis modis dicendi non parvi momenti sumi potest argumentum pro conclusione nostra corroboranda, videlicet, quod Christus meruit per actum dilectionis Dei, namque tot, et tanti theologi prædictas difficultates aggressi sunt, pluraque inconvenientia concesserunt ne admitterent Christum non meruisse per actum charitatis erga Deum: ergo hoc judicantur multo magis inconueniens. Ex dic-

tis ergo sex dicendi modis quatuor priores nullum habent fundamentum solidum, et communiter impugnantur ab expositoribus D. Thomæ: superest ut quintum, et sextum modum dicendi examinemus.

X. Quintus ergo modus relatus est magistri Vincentii pagina 420, quem secuti sunt etiam aliqui gravissimi discipuli D. Thomæ. Et videtur esse magistri Bagnez 2-2, quæst. xxiv, articulo III, prope finem, et magistri Medina hic in primo dubio circa solutionem ad tertium, qui modus dicendi in hoc consistit, quod eadem dilectio, qua Christus necessario diligit divinam bonitatem clare visam secundum quod in se est, et propter se summe amabilem, est actus liber; alia tamen ratione, videlicet, qua diligit eandem bonitatem prout est ratio formalis volendi redemptionem generis humani sua morte exequendam, ac adeo in illo actu amoris primam rationem meriti esse inventam, et in alios derivatam. Hunc modum dicendi satis reputat probabilem Capreolus in III, dist. xviii, quæstione unica, articulo III, ad argumenta Aureoli ultimo loco adducta, ubi existimat hanc esse mentem D. Thomæ in eodem articulo. Ego tamen non existimo D. Thomam, aut Capreolum in amore beatifico aliquam rationem meriti docuisse sine aliqua libertate; unde cum semper docuerint visionem, et amorem beatificum esse actus necessarios, necessario etiam ipsi intelligendi sunt de eis actibus ut beatificantes sunt. Et rursus in actu amoris esse admixtam aliquam libertatem secundum illam posteriorem considerationem, quæ per se ad beatitudinem non pertinet, cum sine illa salvari possit.

XI. Probatur iste modus dicendi, nam licet finis prout est per se amabilis, et prout est ratio appetendi

media esse possit objectum duorum actuum, tamen non apparet impossibile, quod sub utraque ratione eundem actum terminet, cum prima ratio sit origo et ratio secundæ; ergo satis probabiliter dici potest id actualiter reperiri in eminentissimo actu voluntatis, qualis est amor beatificus circa illam duplicem rationem bonitatis supra assignatam. Tum sic: Etiam non est impossibile, quod idem actus noster sit necessarius quoad primarium, objectum quantum ad specificationem, et liber quantum ad secundarium objectum etiam quantum ad specificationem; ergo non erit impossibile, quod ille actus amoris beatifici sit necessarius quoad illam primam rationem quantum ad exercitium, et liber etiam quantum ad exercitium quoad secundam rationem. Probatur consequentia, quia æque distant libertas, et necessitas quoad exercitium inter se, sicut necessitas, et libertas quantum ad specificationem, atque adeo si entitas finita sufficiens est ad conjungendas duas priores rationes, sufficiet etiam ad conjungendas duas posteriores. Antecedens vero probatur, quia idem actus esse potest circa finem, et circa media, ut docet D. Thomas 1-2, quæst. xii, art. iv: contingere autem potest quod circa finem sit necessarius quantum ad specificationem, ut dici solet 1-2, quæst. x, art. i, et liber quantum ad specificationem circa media, nam si plura sint, potest quodlibet eligere, et alia respicere; ergo.

XII. Confirmatur, quia licet actus beatificus ea ratione, qua terminatur ad Deum sit necessarius, tamen ut terminatur ad creaturas est liber; ergo etiam respectu ipsius Dei secundum illam duplicem rationem considerari potest habere ille actus illam duplicem rationem liberi, et ne-

cessarii. Probatur consequentia, quia non est magis de necessitate beatitudinis amor Dei, ut est ratio amandi creaturas, quam amor ipse creatorum. Secundo, probatur, quia amor ipse increatus habet utramque rationem liberi, et necessarii respectu ipsius Dei considerati sub illa duplici conditione, ut constat ex prima parte, quæstione xix; sed amor beatificus præcipue Christi est eminentissima participatio amoris increati; ergo illi tribuenda est ista perfectio.

XIII. Sextus tamen modus dicendi est affirmantium duplicem esse amorem Dei in Christo Domino, unus quidem qui sequitur ad visionem beatificam; alius vero, qui sequitur ad scientiam infusam. Hunc modum sequitur Capreolus in distinctione prima, quæst. III, in fine, quidquid aliqui recentiores dicant, quia ibi præter amorem Dei necessarium ponit in beatis alios actus voluntatis liberos circa Deum. Eundem modum sequitur Ferrariensis contra gentiles, cap. lxxi, §. Ad id quod ultimo, etc. et magister Soto libro III de natura et gratia, capite VII satis illum insinuat; agens enim de dilectione beata Christi dicit per illam non meruisse, sed per aliam liberam ejusdem objecti. Idem tenet magister Medina in hoc articulo, dubio tertio, prope finem, et Zumel I part. quæst. xxii, articulo IV, et Suarez disp. xxxix, sect. II, et communiter discipuli D. Thomæ. Et satis probabilem illum reputat magister Vincentius in sua relectione, pagina 425. Contra hunc tamen modum militat argumentum Vazquez, et probationes ejus, quas posuimus in principio articuli, et illas suo loco solvemus. Probabilis ergo mihi videtur quintus, et sextus modus dicendi ultimo loco relati, quamquam aliquas patiantur difficultates: unde juxta utrumque modum solvendum est

argumentum factum a Vazquez.

XIV. Juxta quintum modum dicendi respondetur negando minorem. Et ad primam probationem ejus dicitur, quod quamvis non detur alius actus amoris Dei in Christo Domino secutus ad scientiam infusam animæ ejus, idemmet actus amoris Dei secutus ex visione clara ejus est necessarius secundum quod est fruitio boni infiniti jam visi, et habiti, et est etiam liber secundum alteram rationem, videlicet, secundum quod respicit bonitatem divinam prout est ratio formalis volendi redemptionem generis humani sua morte exequendam. Nec est inconveniens quod idem actus sit liber, et necessarius secundum diversas considerationes, ut patet in amore beatifico, qui ut respicit Deum est necessarius, ut vero respicit creaturas est liber. Et patet etiam in amore infinito ipsius Dei, qui ut modo dicebamus, est necessarius ut terminatur ad Deum in se ipse, et est liber quatenus terminatur ad Deum, ut est causa creaturarum. Reliquæ autem probationes argumenti Vazquez non militant contra quintum modum, sed contra sextum, et ideo

XV. Ad illas juxta sextum modum dicendi respondetur. Ad primam, quod ex scientia infusa optime sequi potest amor supernaturalis Dei in anima Christi. Nec obstat, quod per illam scientiam non cognoscatur divina essentia quantum ad quæstionem quid est, sufficit enim cognoscere per illam mediis effectibus supernaturalibus Deum quantum ad quæstionem an est. Et inde est, quod ex illa non sequitur amor necessarius liber.

XVI. Ad secundam probationem respondetur, quod scientia imperfectior in præsentia scientiæ eminentioris potest movere voluntatem ex imperio ejusdem voluntatis, præ-